Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2693
Quelle:
Copyright:

et fulgent et repreſentantur aliqua utilia ſpeculanda circa baptismi eukariſtie et penitentie ſacramenta. Opportuna rudium aevi illius Sacerdotum inſtitutio minuta quaeque circa Sacramentorum adminiſtrationem perſequens, *data*, ut ad calcem, *conſtancie die ſabbati XI. menſis decembris anno primo* (1417) *pontificatus noſtri M* (artini) *quinti.* Additum: 1456. *Chriſtianus Eymperger.* Quae Librarii ſunt; Opuſculum enim ad *Hermannum de Schildis* Erem. Aug. pertinet, ut *Cod.* DCXLVI.

VI. *fol.* 291. absque titulo: *Nicolai de Hanapis* Galli O. P. Epiſcopi primum *Aconenſis*, dein Patriarchae *Hieroſolymitani* mortui a. 1291. *Virtutum vitiorumque Exempla ex utroque Teſtamento* ordine alphabetico in Titulos digeſta, olim *Guilelmo Peraldo* erronee tributa, quin inter *Bonaventurae* Opera T. VII. edit. *Lugd.* 1668. f. p. 434. ſub nomine *Biblia Pauperum*, mutato tamen ordine, recepta. Titulus I. *De adoracione et cultu* incipit: *Factum eſt ut offerret Cayn de fructibus terre domino* &c. Ultimus *de zelo indiſcreto* ſic finit: *Teſtimonium quidem perhibeo illis ſed non ſecundum ſcientiam.* Clauſula: *Explicit liber de exemplis ſacre ſcripture compoſitus a fratre Nicolao de Hanapis ordinis predicatorum. Finis huius operis Anno domini 1456. In vigilia vigilie Natalis chriſti Amen. In Sächsſen.* Quod eſt oppidum *Auſtriae* ſuper. Adjecta eſt *Tabula Titulorum*, et alia quaedam nullius momenti ſequuntur. De Autore et operis noſtri editionibus agitur in *Scriptt. O. P.* T. I. p. 422. unde obſervo in pluribus ibidem citatis Exemplaribus haberi *Praefationem*, et primum eſſe Caput *de Miraculis*, quod nobis ordine 45. eſt.

DCCXXXII.

Codex chartaceus lat. boh. 494
Sec. XV. Folior. 168. 4. currenti calamo ſcriptus eſt Collectio *Sermonum* de Feſtis Domini, B. V. et Sanctorum, aliquot item Dominicis initio ducto ab *Adventu*, et Sermone in illud *Luc.* I. *Miſſus eſt angelus Gabriel* &c. qui incipit: *Aqua frigida anime ſicienti et nuncius bonus de terra longinqua* &c. In *Bohemia* compoſitos fuiſſe probant cum *Gloſſae* plurimae Gentis illius lingua interſperſae, tum Nota ad *fol.* 69. p. 2. *S.* (Sacerdos Wenceſl.) *Roſſius preſſorouius habuit librum Ab anno domini 1516. et ſcripſit* (hanc ſcil. Notam) 1551. *In Dub* (Prov. Boleslav.) *Ciuitate parua.* Atque hic idem, quibus Feſtis apta eſſent Evangelia Sermonesque ex iis deducti, paſſim marginibus adſcripſit. Inter alia Evangelium in Feſtis Confeſſorum non Pontificum legi ſolitum, *Luc.* c. 12. *Sint lumbi veſtri praecincti* &c. ridicule *Evangelium Lumborum* adpellat. Autorem Sermonum extitiſſe Regno turbis *Huſſiticis* conflagrante, ex iis *fol.* 39. verbis liquidum fit: *Sicut et nunc multi mali chriſtiani perſequuntur multi-*

plici